



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo gentiles damnatis simulachris ad cognitionem dei conuersi sunt.  
Cap. LV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

illic antea oberrauerat, ne vestigium quidem iam relictum esset.

*Quomodo gentiles damnatis simulachris ad cognitionem dei conuersi sunt.*

CAP. LV.

**E**X omnibus igitur, qui ante illud tempus se superstitione obligassent, cum errorem suum patefactum & perspicue refutatum oculis cernerent, cumque delubrorum & statuarum ubique vastitatem reipsa intuerentur, alii ad salutare Dei verbum se totos conferre, alii, licet non illud ipsum agerent, patriam tamen & auitam inscitiam improbare, & quos olim Deos existimauerant, risu & ludibrio insectari ceperunt. Ac quidem, quæso, ita in animum inducerent, cum immensam illam nequitiam interius latentem, exteriori quadam statuarum specie obductam satis manifestò perspicerent? Aut enim extinctorum cadauerum ossa, exiccateque caluæ versutis præstigiatorum dolis callidè oblecta, aut sordidæ lacerateque vestes horrida & impura foeditate farcitæ, aut congeries ex fœno & stipula collecta suberant. Quæ cum in simulachra inanima congesta conspiciantur, vehementer & suam, & patrum suorum amentiam incusarunt: præsertim cum planè intellexissent, neminè in illis abditis recessibus, aut in ipsis statuis, vel dæmonem, vel ariolum, vel deum, vel vatem, sicuti sibi antea persuauerant, tanquam habitatorem residere: imò vero ne obscurum quidem & umbratile spectrum superesse. Quapropter illis, qui erant ab imperatore ad id negotii delegati, ad omne obscurum antrum, omnemque latentem & apertum recessum facilis patebat aditus. Quinetiam adyta, ad quæ accedere fas non erat, & intima sacraria pedibus militum proterebantur, adeo ut mentis cæcitas, quæ longinquo temporis spacio vniuersos Gentiles occupauisset, horum opere & labore perspicue deprehensa, in omnium oculis defigeretur.

*Quomodo*